Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36533
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

plenus spiritu superbum diabolum prudentia dei potius maluit dicere quam fortitu
dine esse percussum. Non enim ait fortitudo sed prudentia eius percussit superbum. Nam
quamvis sicut dictum est propter naturam simplicem dei fortitudo sapientia sit, dominus ta
men diabolum quantum ad faciem spectat non virtute sed ratione superavit. Ipse namque
diabolus in illa nos parentis primi radice supplantavit. sub captivitate sua
quasi iuste tenuit hominem. qui libero arbitrio conditus ei iniusta suadenti
consensit. Ad vitam namque conditus in libertate proprie voluntatis sponte sua
factus est debitor mortis. Delenda ergo erat talis culpa. sed non nisi per sacrificium dele
ri non poterat. Querendum erat sacrificium. Sed quale sacrificium poterat pro absol
vendis hominibus inveniri? Neque enim iustum fuit ut pro rationali homine
brutorum animalium victime cederentur. Unde apostolus ait. Necesse est ergo exempla
ria celestium his mundari. ipsa autem celestia melioribus hostiis quam istis. Ergo
si bruta animalia propter rationale animal id est pro homine digne victime
non fuerunt. requirendus erat homo qui pro hominibus offerri debuisset. ut pro ratio
nali peccante rationalis hostia mactaretur. Sed quid. quod homo sine peccato in
veniri non poterat. et oblata pro nobis hostia quando nos a peccato mundare po
tuisset. si ipsa peccati contagio non careret. Inquinata quippe inquinatos
mundare non posset. Ergo ut rationalis esset hostia. homo fuerat offeren
dus. ut a peccatis mundaret hominem homo sine peccato. Sed quis esset homo
sine peccato. si ex peccati commixtione descenderet. Proinde venit propter
nos in uterum [virginis] filius dei. ibi pro nobis factus est homo. sumpta est ab illo natura non
culpa. fecit pro nobis sacrificium. corpus suum exhibuit pro peccatoribus victimam
sine peccato. que et humanitate mori. et iusticia mundare potuisset.
Hunc ergo cum post baptisma vidit antiquus hostis. temptationibus mox im
petiit. et per diversos aditus ad interiora eius molitus irrumpere victus est.
atque ipsa inexpugnabilis intus eius integritate prostratus. Sed quia ad interi
ora non valuit. ad eius se exteriora convertit. ut quia intus virtute victus
est. eum quem decipere temptatione non valuit carnis saltem videretur mor
te superare. atque ut ante nos dictum est permissus est in illud quod ex nobis mor
talibus mediator acceperat. Sed ubi potuit aliquid facere ibi ex omni parte
devictus est. et unde accepit potestatem carnis dominice occidende. inde inte
rior potestas eius qua nos tenebat occisa est. Ipse namque interius victus est du

Quod deus diabolum non
virtute. sed ratione superavit.
et quia pro peccato hominis non
fuit hostia nisi filius dei.